

rit. Longè aliter noster fecit LOBECHIVS; is enim  
exemplo hoc quidem seculo rarissimo, non implumis,  
hoc est, linguarum & artium dicendi rudis, sed earum  
fundamentis recte in schola patria jactis, & præclaro  
tyrocinio pædagogico jam tum in ædibus venerandi se-  
nis Dn. CONRADI GERLACI, Cathariniani in patria  
tempii ministri fidelissimi (patriis Clarissimi quondam  
HENRICI GERLACI, nuper poëseos apud nos profes-  
soris) edito, ad nostram hanc accessit Academiam, cum  
jam adolescentiæ limina, annum nonumdecimum  
attingeret: quò cum se non ad otium, sed ingenij culturam  
ablegatum sciret, statim omnes animi nervos intendit,  
ut quoquo pacto spei de se in patria concitatæ satisficeret.

Primum itaq; de hospitio sibi commodo sollicitus, re-  
Etius tutiusvè nullibi vivere se posse arbitratus est, quam  
apud eum, à quo quotidie exemplum pietatis, modestiæ,  
sobrietatis & diligentia capere posset: ac talem esse ra-  
tus, & revera esse scimus omnes, Virum Clarissimum  
Dn. M. ERASMVM STOCKMANNUM sympathiotam  
suum, physices professorem dexterum, eum sibi ho-  
spitem elegit: memor haud dubiè præcepti longè uti-  
lissimi, elegantissimo disticho à Nathane Chytræo poë-  
ta celeberrimo propositi.

*Cum doctis versare lubens & plurima disces,  
Olim etiam canis grata futura tuis.*

Et quod Seneca auctor gravissimus præclare monet: Lib. 3. de:  
114.  
*Nulla res bonorum doctorumq; virorum conversatione, magis aut  
honesta aut necessariâ est: paulatim enim in pectora descendit, &  
præcepti obtinet, frequenter audiri atq; aspici: occursus quoq;  
sapientum juvat; & est aliquid quod ex magnis viro vel tacente  
proficias.*

In hujus ergo M. Erasmi ædibus & mensa quin-